

ostendit ratio institu-[43:]tionis et historia. Narratur prima ecclesia hoc tanquam vinculo et neruo publicae congregationis vsa et in fractione panis in publico conuentu consentienti animo fudisse preces ad Deum. Vbi sicut nulla mentio singularis et tremendi cuiusdam numinis, ita in vsu tamen pia adhibita fuit reuerentia in Christi commemorationem. Ita enim dicitur: ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες τῇ διδασχῇ τῶν ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προσευχαῖς.<sup>144</sup> Vocabulum κοινωνία prorsus Paulino modo vsurpatum est neque de communionem facultatum, quam mox deinde nominat, intelligi potest, sed recitat ecclesiam perseuerasse in doctrina apostolorum, in societate, quae fractione, hoc est distributione panis initur et precatione. Alij non modo peculiarem hunc cultum ignorarunt, sed delapsi ad partem contrariam coenam nimis contemptim habuerunt. Sicut propter hanc prophanitatem Corinthij reprehenduntur a Paulo, quod non discernent coenam Christi a vulgaribus epulis, sed appararent conuiuia ad pompam et luxum. Quis autem credat eam futuram fuisse prophanitatem, praesertim in gente prona ad idololatriam, si notum fuisset illis pontificum et similium dogma de praesentia veri vel essentialis corporis Christi cum pane? Paulus taxans illam ἀταξίαν concionatur de fructu coenae et vult eam administrari reuerenter.

20 Hanc veterem simplicitatem et rectitudinem imitatam esse veterem ecclesiam longo tempore, ostendunt historiae in Dyonisio et aliis.<sup>145</sup> Sequens tamen aetas subinde magis conata est pietatem et reuerentiam in hominibus acuere, praesertim cum iudicarent hac dulci et pia caeremonia plures ad veram religionem inuitari. Ideo non solum copiose de fructu locuti sunt, sed etiam

25 symbolis ipsis appellationem corporis et sanguinis Christi tribuerunt. Etsi vero has phrases sacramentales, cum eo tempore adhuc illa recentiorum praerogatiua, vt nominant, ignota esset, nemo male intellexit nec vlla ea de causa essent mota certamina, tamen hyperbolae aliquorum ex veteribus incom-[44:]mode a posteritate acceptae sunt. Irrepsit paulatim opinio de oblatione eaque subinde aucta et confirmata est, sicut apparet ex canone, qui

30 plura et diuersa habet additamenta.<sup>146</sup> Aetas quidem ante Gregorium purior est, sed circa tempora Gregorij, qui vt vir romanus rempublicam ecclesiasticam aut potius monarchiam permittente Phoca caesare ordinare coepit inuocationes mortuorum et sacrificia pro mortuis praecipue ex autoritate spectrorum confirmata sunt atque ita cumulatae missae priuatae.<sup>147</sup> Isti abusus, cum

35 deinde creuissent et subinde aucti essent, vltimo tandem inuecta est opinio de

<sup>144</sup> Act 2,42.

<sup>145</sup> Vgl. hierzu die Darstellung der altkirchlichen Konzilsgeschichte durch Dionysius Carthusianus, De auctoritate summi pontificis et generalis concilii libri tres, in: Doctoris D. Dionysii Carthusiani opera omnia. Bd. 36: Opera minora. Bd. 4, Köln 1908, 525–674.

<sup>146</sup> Vgl. hierzu die Canones der 22. Sitzung des Tridentinischen Konzils „über das Messopfer“: DH 1751–1759.

<sup>147</sup> Zur Person Gregors I. und zu seinen Gottesdienstreformen vgl. Robert Austin Markus, Art. Gregor I., in: TRE 14 (1985), 135–145.